

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

non est minima, quod sicut omnes aquæ licet terram pe-
tant, tamen ex terra rursus elabuntur vel in mare (ex quo
exerunt omnes, & in quod omnes intrant, Eccles. 1. v. 7.)
vel ab æstu solis extrahuntur: ita omnis homo, licet in
terram reuersus & in terra (vt nobis quidem videtur) con-
sumptus atque in nihilum redactus, suo tempore de terra
resurget: vi omnipotentis diuinæ. Unde wird keiner dahin-
den bleibet.

F I N I S.

THEMA XXIII.

2. Sam. 24. v. 17. ad. 16.

*De triplici pœnarum genere à Propheta Gad proposito
Dauidi, & optione data, atque electa pestis triduanæ pœnæ:
eiusque electionis causa.*

NOTA. Quia tota materia de Peste supra parte 1.
Promptuarii, in Appendice Classis VII. sub finem est tra-
ctata, ideoque hic plura nolui repetere.

Si quis autem hæc verba sigillatim tractare voluerit, &
historiam præsentem paucis explicare, poterit huius loci
talis esse

DISPOSITIO.

Dauidem commendat Spiritus sanctus, 1. Reg. 15. v. 5.
quod fecerit rectum in oculis Domini, & non declinauerit
ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vite
sue, excepto facto VITÆ.

Quamuis igitur Dauid fuerit vir secundum cor Dei,
(Act 13. v. 22.) tamen fuit peccator, & exprobrat illi hoc
Spiritus sanctus. Quam graues propterea pœnæ dederit,
pater ex historia 2. Sam. cap. 12. & sequentibus.

Peccauit autem Dauid etiam secunda vice satis enor-
miter: cum populum numerasset. Hoc vero ipsi non ex-
probratur, 1. quia Satan dicitur aduersus Israël consurrex-
isse, & incitasse Dauidem.

2. Post

2. Post admissum peccatum non erat securus vt antea, 2. Sam. 12. vt opus fuerit ipsi peccatum pingere ante oculos: sed cor mox percussit ipsum, postquam numeratus fuit populus, ideoque antequam Propheta ad ipsum missus fuit, ipse iam agnouit suum delictum, & deprecatus est culpam: Peccaui Domine valde in hoc facto, sed precor, vt transferas iniquitatem serui tui, qui stulte egi nimis. Itaque mitius etiam punitus hoc loco est: sed tamen pœnam non profus potuit effugere. Quam paterne autem Dominus egerit cum ipso, hæc præfens docet historia. Tria nobis hic præcipue sunt notanda.

1. Nuntium Prophetæ de tribus calamitatum generibus, interquæ Dauidi optionem dedit.
2. Quam pœnam elegerit Dauid, & quare non aliam, quam pestem.
3. Quomodo hæc pœna populo fuerit irrogata, & quare scilicet Dauid solus istius pœnæ causa fuisse videatur.

I. Pars.

Dauid propter commissum peccatum valde erat anxius. Legitur hic surrexisse mane, nec id sine causa: absque dubio enim insomnem duxit noctem. Dominus autem penitentem non diu vult suspendere.

Mittit itaque ipsi Prophetam Gad, vt quam primum remissionem peccatorum annuntiet: deinde etiam paternam calligationem proponat.

Hoc vult Gad: Peccasti. Meritus es pœnam. Et ea iam tibi est decreta à Deo. Affero illam tecum. At tam paterne tecum agere vult Dominus, vt liberam tibi relinquat optionem. Et ego iam tibi propono illas pœnas, vt eligas quamcunque vis.

1. Annonæ caritatem septennem. &c.
2. Bellum & fugam à persecutoribus 3. mensibus.
3. Pestem triduanam. Vide quam velis eligere, vt responsum afferam Deo,

LOCVS

Locvs. I. Videmus quæ sint calamitates maximæ, inter pœnas corporales & temporales (Tales enim sunt hæc: ideoque tolerabiliore, quam spirituales, vt sunt tentationes, indignatio Domini & abiectio, qualis est pœna Saulis, & ablatio Spiritus sancti, &c.) Has Deus sæpe coniungit, quando de grauissimis calamitatibus loquitur Deut. 28. versic. 23, 25. & 27. & 2 I. Jer. 14. v. 12. Ezech. 6. Et sunt sane satis graues. At peccatorum stipēdia. Ideoque cauendum à peccatis, ne tales nobis ipsi accersamus misērias. Es ist nicht Kinder spiel. Certe Dauid vehementer coarctatur hic.

Notanda hæc contra eos, qui nec bellum, nec famem, nec pestem curant, aut metuunt. Imo sæpe tales illi calamitates, vt obruant alios, optant & imprecantur. Et quod magis impium, nonnulli homines desperati, sibi & suis interdum talia imprecantur.

Nec habent illi consolationem, si puniantur per ea, per quæ peccauerunt. Sap. 11. v. 17. Ideoque tum plerumque sunt impatientes, & desperant, atque in peccatis pereunt. Pii certe deprecantur has pœnas, & præparant se in occursum Deo, Amos 4. versic. 12. Exempla. Hiskias. Esa. 37. v. 4. Salomon. 1. Reg. 8. v. 33. 35. 37.

Locvs. II. Cupiunt multi sibi etiam dari optionem, inter pœnas. Putant se velle tum eligere leuissimam. At Deus scit quid possint quisque ferre. Ideo ipsi permittendum, & orandum. Tantum non ultra vires tentet 1. Cor. 10. v. 13. Quod si omnino cupis optionem: ecce proposuit tibi illam Dominus iam olim, Deut. 30. v. 15. & 19. Elige tu vitam. Jerem. 31. v. 8. Si hanc eligeres, non tanta superueniret angustia, quanta hic est Dauidis, &c.

II. Pars.

Coarctatur Dauid. Agnoscit enim omnes esse graues. At eligit pestem. Cupit enim incidere in manus Domini. Causam mox subiicit: Magna misericordia illius. Mirum autem quare Dauid hanc elegerit, & non f. m. c.

Hic

Hic apparet pietas Davidis erga Deum & subditos, Credit Dei misericordiam infinitam esse. Ideoque non desperat. Præsertim cum triduo sineudam poenam audit. Nec famem eligit, quia sic subditi maxime affligerentur. Nec bellum, quia vastaretur terra. Nec vultiple eximi à poena. Ideoque talem eligit, quæ tam ipsum, quam subditos possit tangere, ne videatur velle immunis esse. 1. Par. 22. dicit, Ego incidam in manus Domini.

Locvs. I. Sic non tantum Magistratus, sed & omnes pii debent esse affecti, vt non velint ipsi alios tantum affligi, se vero esse immunis ab omni malo. Imo David orat, Sit manus tua contra me. 1. Par. 12. Hoc requirit charitas. 1. Cor. 13. vers. 5. Moses & Paulus pro fratribus cupiunt fieri anathema. At nos semper alios cupimus in locum nostrum substituere. Wir. wolten immer gern den Trauff auff ander Leuth richten.

Ditiores certe elegerunt annonæ caritatem: sic se sperassent fore immunis, cum sint instructi nummis. Rectius sentit David, qui & ipse diues erat.

L. II. Pii non sine causa cupiunt incidere in manus Dei: quia cum poenitentes & credentes sunt, sciunt sibi remissa peccata, & Deum paterne cum impiis acturum. Quia misericordia ipsius tanta, quanta ipse. Syr. 1. v. 21.

Ideoq; nec tantopere debeamus exhorrescere pestem, nec ita trepidare. Quia semel moriendum. Et sic incidimus in manum Dei elementissimi. Melius esse cum Christo. Phil. 1. At de impiis alia est ratio. De his Heb. 10. v. 31. horrendum incidere in manus Dei viuentis. Grauis erat manus Dei Philistæis. 1. Sam. 5. v. 6.

Secunda itaq; pietas, & Domino confitenda peccata, & non erit aggravata amplius Domini manus Pla. 32. v. 4.

III. PARS.

Statim angelus Domini cepit pestem disseminare per regnum Davidis. Moriuntur 70. millia virorum. Sicque triduo diminuitur numerus ille 2. Sam. 24. vers. 9. David

non discedit in aliam regionem, sed expectat iudicium Domini. At Dominus mox misertus populi cessat affligere.

L. I Recte facit David, quod patienter se submittit pœnæ & expectat quid velit statuere Deus. Scit enim se non posse effugere manum illius. Psalm. 139. Rectius multi si idem facerent.

L. II. Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.

QVÆSTIO. An non sit iniuria subditis? David peccavit & illi puniuntur? Sic sane David indicat. vers. 17. Oves istæ quid fecerunt? At non sunt innocentes. Aliis enim peccatis irritauerunt Deum etiam ipsi. Quod clare patet ex initio cap. 24 lib. Sam. Iratus est furor Domini contra Israel: non contra Davidem. Abusus enim est populus pace, qua fruebatur sub Dauide. Ideoque vt puniretur, permisit Satanæ, vt incitaret Davidem, &c.

Hæc cum ita sint, non debent subditi tantum accusare Magistratus, sed seipsos, &c.

THEMA XXIV.

2. Reg. 13. à v. 20. ad 22.

De sepulto Moabita in sepulchro Elisæi & reuiuiscente ex contactu eiusum Prophete.

DISPOSITIO.

Si hanc præsentem historiam narraret homo aliquis, cuiuscunque conditionis vel authoritatis; aut describeret illam nobis vel Poetarum, vel scriptorum Ethnicorum celeberrimus quispiam, & quem alioquin omnium haberemus veracissimum: haud tamen immerito pro fabula illam haberemus. Tam enim illa est mirabilis, vt fidem non mereatur, si rationis humanæ iudicium velimus sequi. At quia non humana authoritate allata est scriptura, [2. Pet. 1. vers. 21.] sed Prophete illi, de quibus [1. Par. 30 vers. 29.] dictante Spiritu sancto scripserunt, ideo que nefas erit de vlla parte historiæ sacræ dubitare: & sic

E

etiam